

7 maris tardius impellitur. naturam Oceani atque aestus neque querere huius operis est, ac multi rettulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus ad crescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac 5 montibus inseri velut in suo.

11 Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum.  
 2 habitus corporum varii atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant; Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecssisse easque sedes occupasse fidem faciunt; proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum 15  
 3 dedit. in universum tamen aestimanti Gallos vicinam in-  
 4 sulam occupasse credibile est. eorum sacra deprehendas ac superstitionum persuasiones; sermo haud multum diuersus, in depositis periculis eadem audacia et, ubi 5 advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen 20 ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. 25

12 In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. honestior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur.